Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



lu

fuit Vnus autem ex illis ut vidit q̃ mundatus est reversus est cum
magna voce magnificans deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem ihs dixit
Nonne decem mundati sunt et novem ubi sunt. Non est inventus qui rediret
et daret gloriam deo nisi hic alienigena. Et ait illi. Surge et vade quia
fides tua te salvum fecit. Interrogatus autem a phariseis qui veniret regnum
dei. Respondit eis et dixit. Non veniet regnum dei cum observatione neq;
dicent. Ecce hic. aut ecce illic. ecce enim regnum dei intra vos est. Et ait
ad discipulos suos. Venient dies quando desiderabitis videre filium hominis
unum diem et non videbitis. et dicent vobis. Ecce hic et ecce illic. noli
te ire neq; sectemini. Nam sicut fulgur coruscans de sub celo
in ea quae sub celo sunt fulget. ita erit filius hominis in die sua. Primum
autem oportet illum multa pati et reprobari a generatione hac. Et sicut
factum est in diebus Noe ita erit in diebus filii hominis. Edebant et bibebant
et uxores ducebant et dabantur ad nuptias usque in diem in qua intravit
Noe in arcam. et venit diluvium et perdidit omnes. Sicut factum
est in diebus loth. Edebant et bibebant emebant et venidabant. plantabant et edificabant. Qua die autem exivit loth a Sodoma
pluit ignem et sulphur de celo et omnes perdidit. Secundum hec erit qua
die filius hominis revelabitur. In die illa qui fuerit in tecto et vasa eius
in domo non descendat tollere ea. Et qui in agro. simile non revertatur retro.
Memores estote uxoris loth. Quicumque quaesierit animam suam salvam
facere. perdet illam. Et quicumque perdiderit illam. vivificabit eam. Dico vobis
in illa nocte erunt duo in lecto uno. Vnus assumetur et alter relinquetur.
Duae erunt molentes in unum. Vna assumetur et alia relinquetur. Duo
in agro. Vnus assumetur et alter relinquetur. Respondentes dicunt illi
Vbi domine. Qui dixit eis. Vbicumque fuerit corpus ibi congregabuntur aquilae.

18 Dicebat autem et parabolam ad illos. quod oportet semper orare. et non desficere. dicens. Iudex quidam erat in quadam civitate. qui deum non timebat et hominem non reverebatur. Vidua autem quaedam erat in civitate illa et veniebat ad eum dicens. Vindica me de adversario meo et nolebat per multum tempus. Post autem dixit intra se. Etsi deum non timeo nec hominem reverebor tamen. quia molesta est mihi hec vidua. vindicabo eam ne in novissimo die veniens sugillet me. Ait autem dominus. Audite quid